NONNULLARUM

SPECIERUM TULIPARUM
IN AGRO FLORENTINO
SPONTE NASCENTIUM
PROPRIÆ NOTÆ



AUCTORE
EUGENIO DE REBOUL
AQUISEXTIENSI.

Cum publici juris opusculum ad nonnullas agri florentini species Tuliparum pertinens nondum facere possim, summarium illius nunc exhibeo botanicis, ne, morâ, mei laboris fructu defrauder. Hìc itaque de genere nihil reperitur; synonyma tantum magni momenti memo-



rantur; descriptiones in meras appendices ad characterem specificum vertuntur; historiae, observationumque maxima est inopia; discussiones et icones omnino resecantur; sed illud silentio involvere non licet, quod cum ad majorem botanici sermonis accurationem, meo judicio, partibus perigonii simplicis proprium nomen imponere necesse sit, nomen istud construxi loco initialis *petali* initialem *sepali* ponendo, ut utrisque vocabulis particeps, organi quod ostendit quasi naturam ostendat. *Setalum* igitur, singulam perigonii simplicis partem nuncupo.

Species Tuliparum omnes quas circa Florentiam observavi, arvenses vidi. Praecociores hyeme cadente florere incipiunt: nulla aestate appropinquante florere pergit. En illarum series, e maximis, ni fallor, affinitatibus deducta.

✠ Stigmatibus simpliciter deflexis.
* Bulbo lanugine carente.

I. TULIPA *sylvestris.* Linn.

T. setalis exterioribus angustis: interioribus vix longioribus, valdeque latioribus, basi cilia-

tis; filamentis omnibus supra basim hirsutis; caule florifero inclinato, fructifero erecto. *Nob.*

Folia lanceolata. Setala omnia apice acuta, exteriora praeterea reflexa. Antherae acute apiculatae.

Variat promiscue:

Caule simplici, unifloro.

Minus frequenter: caule bifurcato, bifloro.

Tulipa apennineа. Clus. Hist. 150.

In agro florentino frequens.

** Bulbo eriophoro.

II. TULIPA *Clusiana*. Red. Liliac. cujus synonymiam nondum ponderavi.

T. setalis exterioribus majoribus, acutis: interioribus obtusis: omnibus apice subglabris; antheris muticis; foliis angustis. *Nob.*

Caulis erectus, simplex, uniflorus, ut in reliquis.

In agro florentino non infrequens.

Setala in omnibus Tulipis de quibus hìc sermo est, plus minusve manifestum apice ferunt acervulum pilorum, cujus indicia etiam in hac specie perspiciuntur.

III. TULIPA *Oculus Solis*. St. Am. ex DC. Fl. fr.

T. setalis exterioribus majoribus, acumina-

tis, margine superne revolutis, undulatisque: interioribus vix acuminatis; foliis viridescentibus, caulē superantibus, duobus extremis intermediis brevioribus. *Nob.*

T. acutiflora. Enc. exclus. syn. J. Bauh.

T. rubra apennineae similis. Clus. Hist. 152?

Perigonium rubrum, setalis basi extrinsecus flavis, intus notatis macula oblonga, magnopere nigrescente, per oras lutea, in interioribus breviori, apice tridentata. Antherae obtuse apiculatae. Ovarium lateribus angulisque lineis rubris insignitis. Stigmata rubra.

In agro florentino frequens.

Iisdem propemodum coloribus, pariter distributis, perigonium hujus triumque specierum sequentium praeditum est. Setala vero, eorumque maculae basilares, forma differunt.

Oculus Solis veterum anthophilorum discrepat ab illo quem Saint-Amans evulgavit. Huic referre hanc speciem florentinam existimavi, parvi pendens nonnullas levis momenti differentias quas loco natali tribuere posse judicarem. Hanc, si novam credidissem, libenti

APPENDIX
AD NONNULLARUM
SPECIERUM TULIPARUM
IN AGRO FLORENTINO
SPONTE NASCENTIUM
PROPRIAS NOTAS

AUCTORE
EUGENIO DE REBOUL
AQUISEXTIENSI.

O*culum Solis* inter et *Tulipam Raddii* subnecte.

TULIPA *maleolens*. Nob.

T. setalis exterioribus valde majoribus, ovatis, acutis: interioribus elliptico-obovatis; foliis viridescentibus, caule longioribus.

Planta minor *Oculo Solis*. Folia, praecipue suprema, ciliata ut in plerisque his speciebus, sed evidentius. Perigonium coloribus *Oculi Solis* praeditum, rubro vero saturatiore, flavo palli-

diore, nigrescente potius violaceo. Setala maculis basilaribus emarginatis, (unquam exteriora marginibus revolutis.) Pistillum ut in *Oculo Solis*, sed minus: Stigmata parcissime rubentia.

Flos odorem exhalat injucundum, a quo nomen desumpsi. Ruribus muris cinctis, dirutam Divi Miniatis arcem inter et Divi Leonhardi templum, detexi, sicut etiam in loco *Le Rose* dicto.

Tulipam Raddii variis in locis hoc anno inveni. Setala interiora basi angustata varietatem hujus stirpis, potius quam notam specificam, constituere videntur.

Tulipae strangulatae adde.

Caulis, praecipue superne, scabriusculus ut in *Bonarotiana*.

Characteres a stigmatum antherarumque structura deductos, iterata specierum inspectione, vacillantes video.

ERRATUM

Pag. 4. lin. 3. caule *lege*: caulem

FLORENTIÆ 12. Kal. Maii 1823.

In Archiepiscopali Typographia, ad Crucem Rubram.

animo *Tulipam Coornhardii* vocavissem, quoniam, si mentem Clusii (*loc. cit.*) attigi, eamdem esse ac illam quam habuerat Amstelodamensis Theodoricus Coornhard putarem.

IV. TULIPA *Raddii*. Nob.

T. setalis exterioribus valde majoribus, ovatis, acutissimis, basim versus extensis, planis: interioribus obovatis, brevissime acuminatis, basi angustatis.

Caulis cubitalis, etiam ulnaris, atque folia magna, glauca, ut in tribus sequentibus. Antherae obtuse apiculatae. Pistillum ut in *Oculo Solis*, sed majus.

Perigonium, ob setala exteriora inferne plana, marginibus approximatis, trilaterale videtur.

Circa *Careggi* abundans.

Explorare nondum accurate potui an haec caeteraeque species quae synonymia hic prorsus carent, a veteribus botanicis memoratae sint.

Hanc speciem nomine decoravi Praeclari, utrisque in hemisphaeriis, rerum naturalium investigatoris, e cujus indicio illam inveni; nec felicioribus auspiciis poterat evulgari.

✠ ✠ Stigmatibus ad latera plus minusve volutaeformibus. Bulbo lanugine carente.

V. TULIPA *Gesneriana*. Linn.

T. setalis omnibus obovatis: exterioribus parum longioribus: interioribus parum latioribus, obtusissimis, subemarginatis. *Nob.*

Antherae acutissime apiculatae.

Variat promiscue: setalis exterioribus apice obtuso, vel acutiusculo.

Juxta aedem Divi Felicis ad Emam, in rure muris cincto D. Caesaris Vespuccii, nec non in loco dicto *Le Rose*, reperi.

VI. TULIPA *strangulata*. Nob.

T. setalis exterioribus majoribus, ovatis, acutis, sub apice retrorso contractis: interioribus obovatis, acumine triangulari terminatis.

Antherae apiculatae.

Dirutam Divi Miniatis arcem inter et Divae Margaritae templum, detexi. A perigonio superne circulatim contracto cognominavi, dolens quod flori elegantissimo illepidum dederim nomen.

VII. TULIPA *Bonarotiana*. Nob.

T. setalis exterioribus majoribus, ovatis, acutis: interioribus obovatis, brevi acumine terminatis; antheris muticis; caule pubescente.

Perigonium vitellinum, intus intensius, maculis basilaribus setalorum fuscis.

Loco dicto *Settignano*, in praedio Perillustris Bonarotiae stirpis, cujus in aedibus, ad parietem culinae, manu Michaelis Angeli, admirabili arte, carbone delineatus, Satyrus adhuc cernitur, hanc speciem inveni; et hujus notionem a puellis Bonarotiis, venustate floris illectis, libens accepi.



FLORENTIÆ 1822.

In Archiepiscopali Typographia, ad Crucem Rubram.

